An. et vol. CVII 3 Aprilis 2015 N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Antonio Franco caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc congnoscent omnes quia mei discipuli estis: si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io* 13, 34-35).

Domini Iesu verba, quae Evangelium secundum Ioannem nobis tradidit, summa fuerunt norma, cui congruenter Dei Servus Antonius Franco se aequavit: altam solidamque cum Deo coniunctionem in fide communicare cum proximo valuit, cum per perfectam in fratres caritatem pervaderet sui operis intellectus pastorisque fructus. In se negligendo ac sacramentis ministrandis regulam invenit cui vitam suam, communitati inservientem, aequaret, plane de laborioso animarum pastoris officio conscius.

Dei Servus die XXVI mensis Septembris anno MDLXXXV Neapoli ex nobili patricio Orlando Franco et Anna Pisano, baronis Pascarellae filia ortus est. Intra familiam, quae fide christianaque pietate eminebat, solida religiosa

disciplina est institutus, quae severa operositate distinguebatur et magna in pauperiores caritate. Humanitatis absolutis curriculis, in quam peculiarem in modum inclinabatur, apud Neapolitanam studiorum Unversitatem iuris disciplinae operam dedit atque in utroque iure lauream est consecutus, cum interea sacerdotalis vocationis compos fieret, unde circiter anno MDCVII sacro Ordine est auctus. Unum et viginti annos natus Romam se contulit, ubi aptum invenit locum, ut ultra intellectum spiritumque alere posset.

Anno MDCXI Philippus III, Hispaniae rex, suam apud regiam cappellanum eum elegit. Dei Servus, huius muneris dignitatem suscipiens, ad tempus Matritum se contulit, ubi meditate solliciteque suum officium exercuit, sacramenta ministrando pauperioribus corporaliter spiritaliterque subveniendo, per continuatum evangelicae caritatis exercitium suam spiritalitatem perficiendo. Tanta virtus Regem non latuit, qui, permagni Dei Servum faciens Cappellanum Maiorem Regni Siciliae, ut Abbatem ac Praelatum Praelaturae Nullius Sanctae Luciae, iisdem servatis privilegiis quae praedecessoris fuerunt, eum constituit. Die VIII mensis Maii anno MDCXVII Antonius Franco, a Summo Pontífice Paulo V per breve confirmatus, sollemniter in munus est ingressus.

In Praelatura moderanda Dei Servus clara sapientique prudentia eminuit, qua ipse egit, Concilii Tridentini doctrinam et pastoralia recipiens indicia. Ad sancti Caroli Borromeo exemplum, communitatis vitam in ordinem redegit, suo e clero probos mores apostolicumque fervorem exquirens. Ipse porro vitae exemplar fuit: multa de suis commodis cum detraheret, eius pastoralis actio in Evangelio inter pauperes, scilicet pastores et agricolas, diffundendo vera et efficax evasit. Dioecesim reformavit, super corporis spiritusque Sacerdotum religiosorumque institutionem vigilando; liturgiam roboravit veluti spiritalis unitatis partem atque communem vitam animavit per annuas pastorales visitationes, synodos et complura subventionis caritatisque opera. Eius spiritales divitiae in indigentiorum necessitates continenter sunt conversae, per severa decreta feneratores coercendo atque omnimodis indigentibus, infirmis debilibusque subveniendo.

Die II mensis Septembris anno MDCXXVI, paenitentia et diuturnis abstinentiis, in aegrotum corpus illatis, consumptus, Dei Servus e vita excessit, amore et communitatis animis gratis circumdatus. Subsequentes recognitiones eius corpus incorruptum reppererunt.

Propter eius sanctitatis famam apud Messanensem Sedem Inquisitio dioecesana constituta est. Cardinales Patres Episcopique in Sessione Ordinaria coadunati eius virtutes heroum in modum exercitas iudicarunt. Heroicae tales virtutes per Benedicti PP XVI Decretum die XIV mensis Ianuarii anno MMXI sunt agnitae. Idem Summus Pontifex Decreto die XX mensis Decembris anno MMXII miraculum agnovit a Deo per intercessionem Antonii Franco patratum atque statuit ut beatificationis ritus Messanae die II mensis Septembris anno MMXIII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Antonium Franco adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Calogeri La Piana, S.D.B., Archiepiscopi Metropolitae Messanensis-Liparensis-Sanctae Luciae, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifídelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Antonius Franco, Praelatus Ordinarius et Abbas Sanctae Luciae, pastor secundum cor Christi, evangelicae caritatis fervidus testis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die secunda mensis Septembris, qua in caelum ortus est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Septembris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status

✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 1.067

II

Venerabili Servae Dei Mariae Bolognesi Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Sed, quemadmodum communicatis Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exsultantes» (*1 Pe* 4, 13).

Tota vita Venerabilis Servae Dei Mariae Bolognesi constans et mirabile exercitatio fuit ad dolorem passionemque, cui ipsa sereno animo amoreque obveniebat, se aliis offerens omnino seipsam oblita. Passionibus Christi communicatio omnibus momentis replevit cor eius tali amore et solacio, quod divina gratia tantummodo infundere valet.

In oppido *Bosaro* apud Rhodigium, proximum Venetiis, die XXI mensis Octobris anno MCMXXIV nata est. Uti puella et iuvenis extremam paupertatem est experta, quae ob nativitatem septem aliorum fratrum gravior facta est, quaeque familiae condiciones oeconomicas magis instabiles reddidit. Praeter inopiam ipsa gravibus ex morbis laboravit, quibus per totam vitam affecta est. Rudimenta tantum elementaria frequentare potuit. Avia materna simplicis et verae fidei exemplis ei magnos religiosos et morales valores communicavit: amorem in Iesum, proximum et naturam. Devotionis nexus, quem Serva Dei a pueritia cum Christo instauravit, omne eius spirituale iter distinguit. Altus officii sensus amorisque erga familiam compulit iuvenem puellam ad magnum responsalitatis pondus mature sumendum, inducens eam ut sive campos coleret sive fratres educaret. Ad quos agmen aliorum puerorum mox adiunctum est ipsi a matribus concreditorum, quae duro opere in campis detinebantur. Nam eam, etiamsi iuvenilis aetatis, ob indolem eius fortem et magnanimam, unicum certum, fidum et amans auxilium considerabant. Haec eius naturalis inclinatio ad amorem in proximum, potissimum indigentiorem, cito in ea vera voluntas facta est pauperiorum aegrotantium et derelictorum ministerio sese dicandi. A iuventute quidem ipsa admodum conscia fuit maximi esse momenti nexum cum Ecclesia, quapropter ab Episcopo postulavit sibi patrem spiritualem, ad quem ipsa humiliter posset vertere ac oboedienter illi parere in christianae perfectio-

nis itinere calcando. Praematura doloris experientia in ea concitavit erga Christum patientem devotionem, singularem generans communionem cum Eius Passione, cuius claram habuit visionem atque participationem ab anno MCMXLIV, ut ipsius vulnera in se receperit. Haec coniunctio eius cum Christo patiente effecit ut Eum in plurimis vultibus hominum patientium agnosceret, quibus ministrare quosque consolari cum amore ac totali deditione conata est usque ad postremum diem vitae suae, omnibus amabilis soror et mater facta. Confestim Venerabilis Serva Dei claram vocationem suam habuit, non tantum ad sponsalem cum Christo coniunctionem, sed etiam ad oblationis, orationis et paenitentiae opus.

Anno MCMXLIX pro fratrum bono ac praesertim sacerdotum victima se obtulit; haec peculiaris condicio secum ferebat tacitam acceptationem omnium mentis et corporis aerumnarum, quae revera fere rituali numero in Mariam se refundebant. Cito vitam suam mutari vidit in quoddam genus «passionis liturgiae», quam ipsa vixit sensu magnanimae participationis Passionis Domini, in clara, constanti et conscia meditatione de morte, cui omni ictu serene se parabat et offerebat. Progrediente aetate eius valetudo in peius usque versa est, quod tamen multiformi et magnanimae beneficae suae navitati minime obsistit, quam nempe explicabat aegrotos visitando, noctu eis in valetudinariis et sanatoriis assidendo, pecuniam et primae necessitatis genera pro multis familiis pauperibus colligendo ac praecipue pupillos apud instituta vel familias accipiendo. Firma fides eius in gravioribus quoque difficultatibus eiusque vis consolationis valebant ad serenitatem iniciendam et fiduciam in divina misericordia infundere etiam iis qui gravibus condicionibus moralibus affligebantur, morbis haud curabilibus, et moribundis. Augescens cardiopathia, quae anno MCMLXXI grave infartum provocavit, eiusque valetudo in peius versa actuosam eius industriam imminuerunt. Vixit in infirmitatis et difficultatis condicione, cui additae sunt incomprehensiones quas ipsa serena indulgentia tulit. Post menses gravium passionum noctu XXX mensis Ianuarii anno MCMLXXX Rhodigii animam suam Deo reddidit.

Augescente fama sanctitatis, in dioecesi Adriensi-Rhodigiensi effecta est Inquisitio dioecesana super virtutibus heroicis, cuius validitas agnita est per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XXV mensis Maii anno MMI. Consultores theologi congregati in Sessione Peculiari die XXIV mensis Iunii anno MMXI faverunt huic sententiae; idemque iudicarunt Patres Car-

dinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VI mensis Martii insequentis anni. Deinde praebita est quaedam sanatio mirabilis habita, quam Consultores medici die V mensis Iulii anno MMXII censuerunt scientifice inexplicabilem. Consultores theologi in Congresu Peculiari die XIX mensis Novembris eiusdem anni hanc sanationem intercessioni Venerabilis Servae Dei adscripserunt; eandem sententiam tulerunt Paires Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die IX mensis Aprilis anno MMXIII. Exinde facultatem fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut hac de re Decretum ederet atque decrevimus ut beatificationis ritus die VII mensis Septembris eiusdem anni Rhodigii perficeretur.

Hodie igitur Rhodigii de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Bolognesi in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Lucii Soravito de Franceschi, Episcopi Adriensis-Rhodigiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Dei Serva María Bolognesi, laica, quae, caritatis Evangelio fulta, in corpore spirituque dolentium serva facta est, Iesum Crucifixum imitata, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tricesima mensis Ianuarii, qua in caelum nata est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Septembris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status

✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 16.468

III

Emmanueli Borrás Ferré, Agapito Modesto Pamplona Falguera et CXLV Sociis Beatorum Martyrum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Trademini autem et a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis, et eritis odio omnibus propter nomen meum» (*Lc* 21, 16-17).

Haec Iesu verba saepenumero per historiam Ecclesiae impleta sunt, praesertim quoties effusus est sanguis in testimonio fidei. Ecclesia quidem Cataloniae, quae anno MCMXXXVI atrocem subiit persecutionem, iuncta permansit cum Iesu Christo. Eo tempore, odium fidei christianae nefarios duxit ad necem sacerdotum, religiosorum et religiosarum necnon iuvenum seminaristarum. Enimvero hi martyes fuerunt qui fideles Christo ac Ecclesiae Eius manere voluerunt usque ad effusionem sanguinis.

Ii sunt:

ex clero dioecesano:

1. *Emmanuel Borrás Ferré*, Episcopus, natus in *La Canonja* in provincia et archidioecesi Tarraconensi, die IX mensis Septembris anno MDCCCLXXX. Muneribus functus est Notarii in Curia dioecesana et in Tribunali metropolitano, Confessarii in Seminario et Vices Gerentis Apostolatus pro Oratione. Die II mensis Iulii anno MCMXXXIV ordinatus est Episcopus titularis Bisicensis et Auxiliaris Archidioecesis Tarraconensis, Francisco de Asís Cardinale Vidal y Barraquer Archiepiscopo regnante. Vita huius Servi Dei summatim sic describi potest: «puer pius, adulescens examplaris, seminarista imitandus, sacerdos et canonicus studiosissimus, moriturus sanctus». Die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI, captus a militibus, ab illis necatus est ob odium fidei.

2. *Maginus Albaigés Escoda*, sacerdos, natus die XXIII mensis Maii anno MDCCCXCIX in *Albi* (Ilerdae), martyr factus est Tarracone die XX mensis Augusti anno MCMXXXVI.

3. *Raimundus Artiga Aragonés*, sacerdos, natus die XI mensis Octobris anno MDCCCLXXX in *Montroig,* martyr factus est die XIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Borjas del Campo.*

4. *Iosephus Badía Minguella*, sacerdos, natus die XVIII mensis Septembris anno MDCCCLXIII in *Salomó,* martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Reus.*

5. *Ioachimus Balsells Bosch*, sacerdos, natus die XVI mensis Septembris anno MCM in *Espluga Calva,* martyr factus est die XIII mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Fontscaldes.*

6. *Paulus Bertrán Mercadé*, sacerdos, natus die XXV mensis Ianuarii anno MDCCCLXXV in *Creixell* (Tarracone), martyr factus est die VI mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

7. *Iucundus Bonet Mercadé*, sacerdos, natus Tarracone die X mensis Martii anno MDCCCLXXV, martyr factus est die XIV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Reus.*

8. *Iosephus Brú Boronat*, sacerdos, natus die XVI mensis Iunii anno MDCCCLXXX in in *Montroig,* martyr factus est die XXVII mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Reus*.

9. *Iosephus Maria Brú Ralduá*, sacerdos, natus die XXVII mensis Octobris anno MDCCCLXX, martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

10. *Thomas Capdevila Miquel*, sacerdos, natus die XXII Ianuarii anno MCMIII in *Forés,* martyr factus est die VI mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Solivella.*

11. *Ioannes Baptista Ceró Cedó*, sacerdos, natus die XX mensis Octobris anno MCMVIII in *Flix,* martyr factus est die XVI mensis Augusti anno MCMXXXVI Barcinone.

12. *Maginus Civit Roca*, sacerdos, natus die IV mensis Iulii anno MDCCCLXXI in *Conesa,* martyr factus est die XVII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Maspujols.*

13. *Iosephus Civit Timoneda*, sacerdos, natus die XXI mensis Decembris anno MDCCCLXXIV in *Omells de Nagaya,* martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Reus.*

14. *Iosephus Colom Alsina*, sacerdos, natus die X mensis Augusti anno MCMVI, martyr factus est die IV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Vallmoll.*

15. *Franciscus Company Tarrellas*, sacerdos, natus die XXIII mensis Octobris anno MDCCCLXXXVI in *Rocallaura,* martyr factus est die II mensis Augusti anno MCMXXXVI.

16. *Aloisius Domingo Mariné*, sacerdos, natus die X mensis Maii anno MCMXI in *Morell*, martyr factus est die V mensis Augusti anno MCMXXXVI.

17. *Hieronymus Fábregas Camí*, sacerdos, natus die V mensis Decembris anno MCMX in *Espluga Calva,* martyr factus est die XX mensis Ianuarii anno MCMXXXIX in *Santa Coloma de Queralt.*

18. *Isidorus Fábregas Gils*, sacerdos, natus die VII anno MDCCCLXXVIII in *Puigpelat,* martyr factus est die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Reus.*

19. *Petrus Farrés Valls*, sacerdos, natus die XIII mensis Maii anno MCMIII in *Santa Coloma de Queralt,* martyr factus est die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Valls.*

20. *Ioannes Farriol Sabaté*, sacerdos, natus die III mensis Octobris anno MDCCCLXVIII in *Montblanch*, martyr factus est die XXII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Montblanch*.

21. *Narcisus Felíu Costa*, sacerdos, natus die XV mensis Ianuarii anno MDCCCLXXVII in *Pineda* ibique martyr factus est die XXVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI.

22. *Paulus Figuerola Rovira*, sacerdos, natus die IX mensis Decembris anno MDCCCLXX in *Espluga de Francolí,* martyr factus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Espluga Calva.*

23. *Iosephus Gassol Montseny*, seminarista, natus die XXX mensis Aprilis anno MCMXV in *Solivella,* martyr factus est die XII mensis Februarii anno MCMXXXVII in *Sarreal*.

24. *Iosephus Garriga Ferré*, sacerdos, natus die XIII mensis Martii anno MDCCCLXXII in *Cabra del Campo,* martyr factus est die XXIV mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Reus.*

25. *Ioannes Gibert Galofré*, sacerdos, natus die IV mensis Maii anno MDCCCLXXX in *La Riera* et martyr factus est die V mensis Augusti anno MCMXXXVI in *El Pla de Santa María.*

26. *Paulus Gili Pedrós*, sacerdos, natus die XXIX mensis Februarii anno MCMXII in *Omellons* (Ilerdae), martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Francolí.*

27. *Henricus Gispert Domenech*, sacerdos, natus die VIII mensis Novembris anno MDCCCLXXIX in *Riudoms,* martyr factus est die VI mensis Aprilis anno MCMXXXVII in *Riudoms.*

28. *Iosephus Gomis Martorell*, sacerdos, natus die XVII mensis Decembris anno MDCCCXCIV in *Reus,* martyr factus est die VI mensis Aprilis anno MCMXXXVII in *Riudoms.*

29. *Agapitus Gorgues Manresa*, sacerdos, natus die IV mensis Iunii anno MCMXIII in *Cerviá* (Ilerdae), martyr factus est die XXIII mensis Octobris anno MCMXXXVI in *Cerviá.*

30. *Michael Grau Antolí*, sacerdos, natus die XXII mensis Novembris anno MDCCCLXIX in *Herbés,* martyr factus est die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Valls.*

31. *Augustinus Ibarra Anguela*, sacerdos, natus die II mensis Martii anno MCMXI in *Alió,* martyr factus est die XV mensis Augusti armo MCMXXXVI Barcinone.

32. *Aloisius Janer Riba*, sacerdos, natus die IV mensis Martii anno MDCCCLXXX in *Pontils* ibique martyr factus est die XXIII mensis Iulii anno MCMXXXVI.

33. *Dalmatius Llebaría Torné*, sacerdos, natus die V mensis Octobris anno MDCCCLXXVII in *Falset* (Tarracone), martyr factus est die XXII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

34. *Iosephus Mañé March*, sacerdos, natus die XXIV mensis Octobris anno MDCCCLXXVI in *Morell,* martyr factus est die XVII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Reus.*

35. *Raimundus Martí Amenós*, sacerdos, natus die I mensis Novembris anno MCMV in *Vallbona* (Ilerdae), martyr factus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torre de Fantaubella.*

36. *Raphael Martí Figueras*, sacerdos, natus die IV mensis Decembris anno MDCCCLXXVIII Tarracone ibique martyr factus est die XXX mensis Iulii anno MCMXXXVI.

37. *Iosephus Masquef Ferrer*, sacerdos, natus die XI mensis Maii anno MDCCCLXXII Tarracone, martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone

38. *Franciscus Mercadé Rendé*, sacerdos, natus die XXV mensis Martii anno MDCCCLXXXI in *Roda,* martyr factus est die IV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Barbera.*

39. *Iosephus Mestre Escoda*, sacerdos, natus die XII mensis Februarii anno MDCCCXCIX in *Dosaiguas,* martyr factus est die XVII mensis Martii anno MCMXXXVII Barcinone.

40. *Alexius Miquel Rosell*, sacerdos, natus die XI mensis Octobris anno MDCCCLXXXII in *Pla de Cabra,* martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

41. *Ioannes Montpeó Masip*, seminarista, natus die XXXI mensis Octobris anno MCMXVIII in *Borjas del Campo,* martyr factus est die XV mensis Maii anno MCMXXXVIII in *Riudecols.*

42. *Antonius Nogués Martí*, sacerdos, natus die XX mensis Ianuarü anno MDCCCLXXVI in *Montroig,* martyr factus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torre de Fontaubella.*

43. *Iosephus Padrell Navarro*, sacerdos, natus die VIII mensis Martii anno MDCCCXCVIII in *Robla de Mafumet,* martyr factus est die VII mensis Septembris anno MCMXXXVI Barcinone.

44. *Iosephus Maria Panadés Tarré*, sacerdos, natus die IV mensis Septembris anno MDCCCLXXII Tarracone, martyr factus est die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Valls.*

45. *Antonius Pedró Minguella*, sacerdos, natus est die XXII mensis Martii anno MDCCCLXXIV in *Guimerá,* martyr factus est die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Belianés.*

46. *Helladius Perés Bori*, sacerdos, natus die XXVI mensis Aprilis anno MDCCCLXXXIII in *Malde,* martyr factus est die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Reus.*

47. *Andreas Prats Barrufet*, sacerdos, natus die VII mensis Augusti anno MDCCCLXXXVI in *Selva del Campo*, martyr factus est die XIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Reus.*

48. *Antonius Prenafeta Soler*, sacerdos, natus est die VII mensis Aprilis anno MDCCCLXXIV in *Vilosell,* martyr factus est die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Valls.*

49. *Ioannes Roca Vilardell*, sacerdos, natus die XIII mensis Augusti anno MCMV in *Gurb,* martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

50. *Petrus Rofes Llauradó*, sacerdos, natus die XXXI mensis Maii anno MCMIX Tarracone, martyr factus est die XIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Borjas del Campo.*

51. *Ioannes Rofes Sancho*, sacerdos, natus die XXVIII mensis Februarii anno MDCCCLXXVI in *Fontaubella,* martyr factus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torre de Fontaubella.*

52. *Paulus Roselló Borgueres*, sacerdos, natus die IX mensis Maii anno MDCCCXCV in *Vimbodi,* martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

53. *Iosephus Roselló Sans*, sacerdos, natus die XXIV mensis Septembris anno MDCCCLXXXIII in *Montblanch* ibique martyr factus est die XXII mensis Augusti anno MCMXXXVI.

54. *Michael Rué Gené*, sacerdos, natus die XIII mensis Decembris anno MCMIX in *Cerviá,* martyr factus est die XVII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Maspujols.*

55. *Michael Saludes Ciuret*, sacerdos, natus die XXVI mensis Aprilis anno MDCCCLXVII in *Alforja,* martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

56. *Pius Salvans Corominas*, sacerdos, natus die II mensis Ianuarii anno MDCCCLXXVIII in *S. María de La Guardia,* martyr factus est die XIII mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Mollerusa.*

57. *Ioesphus Maria Sancho Toda*, sacerdos, natus die XX mensis Martii anno MCMIX in *Torre de Fontaubella,* martyr factus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torre de Fontaubella.*

58. *Iacobus Sanromá Solé*, sacerdos, natus die IV mensis Novembris anno MDCCCLXXIX in *Villavert,* martyr factus est die XXIV mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Solivella.*

59. *Stanislaus Sans Hortoneda*, sacerdos, natus die VIII mensis Iunii anno MDCCCLXXXVII in *Maspujols,* martyr factus est die XXIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Montbrió del Campo.*

60. *Aloisius Sans Viñas*, sacerdos, natus die XXII mensis Iunii anno MDCCCLXXXVII in *Montblanch,* martyr factus est die X mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Coll de Lilla.*

61. *Sebastianus Tarrago Cabré*, sacerdos, natus die XXI mensis Iulii anno MDCCCLXXIX in *Vinaixa,* martyr factus est die I mensis Augusti anno MCMXXXVI in *La Morera.*

62. *Iacobus Tarrago Iglesias*, sacerdos, natus die XIX mensis Decembris anno MDCCCLXVIII in *Solivella,* martyr factus est die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

63. *Ioannes Tomás Gibert*, sacerdos, natus die XVIII mensis Novembris anno MCMII in *Valls,* martyr factus est die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Salardú*.

64. *Isidorus Torres Balsells*, sacerdos, natus die XXVII mensis Novembris anno MDCCCLXXIV in *Blancafort,* martyr factus est in *Montblanch* die XXIV mensis Augusti anno MCMXXXVI.

65. *Ioannes Vernet Masip*, sacerdos, natus est die XXVIII mensis Maii anno MDCCCXCIX in *Vilella Alta,* martyr factus est die XX mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Juncosa* (Ilerdae).

66. *Franciscus Vidal Sanuy*, sacerdos, natus est die VII mensis Septembris anno MDCCCLXVII in *Montpalau,* martyr factus est die XXV mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Francolí.*

67. *Michael Vilatimó Costa*, sacerdos, natus est die XXIV mensis Octobris anno MDCCCLXXXVIII in *Vich,* martyr factus est die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

68. *Paulus Virgili Monfá*, sacerdos, natus est die VIII mensis Augusti anno MDCCCLXIX, martyr factus est die V mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Pla de Cabra.*

69. *Franciscus Vives Antich*, sacerdos, natus est die XXII mensis Martii anno MDCCCLXXVI in *Valls,* martyr factus est die VI mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Torredembarra*.

ex fratribus Carmelitanorum Discalceatorum:

70. Frater *Angelus a Sancto Ioseph,* (*Ioannes Font Rius*), natus die XX mensis Octobris anno MDCCCXCVI in *Espluga de Francolí* (Tarraco). Mortem martyrii obiit die XXV mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

71. Frater *Carolus a Iesu Maria* (*Carolus Barrufet Tost Carlos*), natus est die IX mensis Aprilis anno MDCCCLXXXVIII. Mortem martyrii obiit die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *La Selva del Camp* (Tarraco).

72. Frater *Damianus a Sancta Trinitate* (*Damianus Pablo Rodríguez*), natus die XVIII mensis Maii anno MDCCCLXXXVI. Mortem martyrii obiit die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

73. Pater *Alypius a Sancta Teresia* (*Alypius Arce Fernández*), sacerdos, natus die XVI mensis Octobris anno MDCCCLXXVIII. Mortem martyrii obiit die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

74. Frater *Iosephus Caecilius a Iesu et Maria* (*Iosephus Alberich Lluch*), natus die VII mensis Februarii anno MDCCCLXV. Mortem martyrii obiit die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

75. Pater *Petrus a Sancto Elia* (*Petrus Hériz y Eguiluz*), sacerdos, natus est die XXII mensis Februarii anno MDCCCLXVII. Mortem martyrii obiit die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

76. Pater *Vincentius a Cruce* (*Vincentius Gallen Ibáñez*), sacerdos, natus die XXIX mensis Septembris anno MCMVIII. Mortem martyrii obiit die X mensis Novembris anno MCMXXXVI Tarracone.

ex Ordine Sancti Benedicti a Monte Serrato:

77. *Fulgentius Albareda Ramoneda*, O.S.B., natus die XIII mensis Iunii anno MDCCCLXXXVIII Barcinone. Martyrium subiit die XIX mensis Decembris anno MCMXXXVI in carcere Sancti Eliae.

78. *Leo* (*Aloisius Gonzaga*) *Alesanco Maestro*, O.S.B, natus die XXIII mensis Iunii anno MDCCCLXXXII in *San Millán de la Cogolla.* Martyrium subiit die XXX mensis Novembris anno MCMXXXVI.

79. *Ambrosius Maria Busquets Creixell*, O.S.B., natus die VII mensis Iunii anno MCMIII in *San Ginés de Torrella de Montgrí.* Martyrium subiit die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI Barcinone.

80. *Hildrebrandus Casanovas Vilá*, O.S.B., natus die XXI mensis Ianuarii anno MCMXVIII in *Hostalets de Balenyá* (Ausona). Martyrium subiit die XVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI in Monte Serrato.

81. *Hildefonsus Civil Castellví*, O.S.B., natus die XI mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX. Martyrium subiit die XXV mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Molins de Rey*.

82. *Ioannes Maria Costa Canal Odilón*, O.S.B., natus est die XIII mensis Decembris anno MCMV in Urbe Sancti Dominici (Ausona). Martyrium subiit die XVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI Barcinone.

83. *Eugenius Maria Erausquín Aramburu*, O.S.B, natus die XXI mensis Octobris anno MCMII Victoriae (Ipuscoa). Martyrium subiit die XX mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Cruz de Término de Pedralbes.*

84. *Placidus Maria Felíu Soler*, O.S.B., natus die VI mensis Novembris anno MCMIV. Martyrium subiit die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI Barcinone.

85. *Iosephus Maria Fontseré Masdeu*, O.S.B., natus die XXX mensis Octobris anno MDCCCLIV in *Vingolas de Orés* (Ausona). Martyrium subiit die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Ronda de San Pedro.*

86. *Dominicus González Millán*, O.S.B, natus die XVI mensis Septembris anno MDCCCLXXX in *La Losilla* (Lucronium). Martyrium subiit die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI in Monte Serrato.

87. *Robertus Grau Bullich*, O.S.B., sacerdos, natus die IV mensis Aprilis anno MDCCCXCV in *Coll de Nardó* (Ilerda). Martyrium subiit die V mensis Ianuarii anno MCMXXXVII in Monte Serrato.

88. *Aemilianus Maria Guilá Ximénes*, O.S.B., natus die IV mensis Aprilis anno MCMXIV in *Mataró.* Martyrium subiit die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI Barcinone.

89. *Iosephus Maria Jordá Jordá*, O.S.B, natus die XX mensis Novembris anno MDCCCLXXXIV Tarracone. Martyrium subiit die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Pont Negre.*

90. *Aloisius Palacios Lozano*, O.S.B, sacerdos, natus die XVII mensis Augusti anno MDCCCXCIII in *Agés* (Burgum). Martyrium subiit die XXX mensis Novembris anno MCMXXXVI Barcinone.

91. *Ioannes Roca Bosch*, O.S.B., sacerdos, natus die XIII mensis Iulii anno MDCCCLXXXIV. Martyrium subiit die XX mensis Augusti anno MCMXXXVI Barcinone.

92. *Angelus Maria Rodamilans Canals*, O.S.B., sacerdos, natus die I mensis Maii anno MDCCCLXXIV in *Sabadell* (Barcino). Martyrium subiit die XXVII mensis Iulii anno MCMXXXVI Barcinone.

93. *Franciscus Maria Sánchez Solé*, O.S.B., natus die XXX mensis Augusti anno MDCCCLXXX Barcinone. Martyrium subiit die XXV mensis Iulii anno MCMXXXVI in Monte Serrato.

94. *Petrus Vallmitjana Abarca*, O.S.B., sacerdos, natus die XIX mensis Maii anno MDCCCLXXV Barcinone. Martyrium subiit die XV mensis Februarii anno MCMXXXVII in *Sardañola.*

95. *Bernardus Vendrell Olivella*, O.S.B., natus die XXIX mensis Iunii anno MDCCCLXXVIII in *S. Esteban de Ordal* (Barcino). Martyrium subiit die XXV mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Gelida.*

96. *Narcissus Maria Vilar Espona*, O.S.B. natus die IX mensis Augusti anno MCMXVI in *Balenyá* (Ausona). Martyrium subiit die XXVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI in Ausona.

ex Ordine Fratrum Minorum Cappuccinorum:

97. *Henricus Salva Mistral*, in vita religiosa *Carmelus de Colomés*, natus die XXI mensis Martii anno MDCCCLXXIV in *Colomes* (dioecesis et provinciae Gerundae), vestem religiosam Cappuccinorum induit in *Arenys de Mar* (Barcino) die XIII mensis Ianuarii anno MCMIII. Martyrium passus est die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

ex Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.:

98. *Fridericus Vila Bartolt*, C.M.F., natus in *Brull* (Barcino) die III mensis Martii anno MDCCCLXXXIV. Martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI apud coemeterium in *Torredembarra*.

99. *Iacobus Mir Vime*, C.M.F., natus in *Ciutadilla* (Ilerda) die XXI mensis Decembris anno MDCCCLXXXIX, martyr factus est die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

100. *Antonius Vilamasana Carulla*, C.M.F., natus in *Masoteras* (Ilerda) die XXVIII mensis Ianuarii anno MDCCCLX, martyr factus est die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Valls.*

101. *Paulus Castellà Barbera*, C.M.F., natus in *Selva del Campo* (Tarraco) die III mensis Maii anno MDCCCLXI, martyr factus est die XXVI mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Reus.*

102. *Andreas Feliu Bartolomeu*, C.M.F., natus in *Selva del Campo* (Tarraco) die XV mensis Septembris anno MDCCCLXX, martyr factus est die XXVI mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Reus.*

103. *Sebastianus Balsells Tonijuàn*, C.M.F., natus in *Fuliola* (Ilerda) die III mensis Decembris anno MDCCCLXXXV, martyr factus est die XV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Sierra de Almenara.*

104. *Antonius Capdevila Balsells*, C.M.F., natus in *Espluga Calva* (Ilerda) die XXVII mensis Februarii anno MDCCCXCIV, martyr factus est die XXIV mensis Iunii anno MCMXXXVI in *Vimbodí.*

ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum:

105. *Agapitus Modestus*, in saeculo *Modestus Pamplona Falguera*, natus die XVII mensis Iunii anno MCMVII, martyrium subiit die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

106. *Albertus Ioachimus*, in saeculo *Albertus Linares de la Pinta*, natus die XXVII mensis Augusti anno MCMXIII, martyrium subiit die XIX mensis Maii anno MCMXXXVII in *Castillonroy.*

107. *Alexander Antonius*, in saeculo *Alexander Arraya Caballero*, natus die XXX mensis Maii anno MCMVIII, martyrium subiit die XXX mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

108. *Alexander Ioannes*, in saeculo *Firminus Gellida Cornelles*, natus die VI mensis Octobris anno MDCCCLXXXIX, martyrium subiit die XVII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Viñaroz* (Barcino).

109. *Alphaeus Barnabas*, in saeculo *Barnabas Núñez Alonso*, natus die XI mensis Iunii anno MCMII, martyrium subiit die XXX mensis Iulii anno MCMXXXVI Tarracone.

110. *Anastasius Lucas*, in saeculo *Lucas Martín Puente*, natus die XX mensis Septembris anno MCMVIII, martyrium subiit die XVIII mensis Septembris anno MCMXXXVI Tarracone.

111. *Andreas Sergius*, in saeculo *Andreas Pradas Lahoz*, natus die XXX mensis Novembris anno MCMVIII, martyrium subiit die XVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Tortosa* (Tarraco).

112. *Angelus Amatus*, in saeculo *Maximianus Peréz Fierro*, natus die XXI mensis Augusti anno MCMV, martyrium subiit die I mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Tortosa* (Tarraco).

113. *Anselmus Felix*, in saeculo *Modestus Godo Buscató*, natus die XII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX, martyrium subiit die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

114. *Antonius Aegidius*, in saeculo *Alexander Gil Monforte*, natus die IX mensis Februarii anno MCMIII, martyrium subiit die XXII mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Mosqueruela* (Terulium).

115. *Aristides Marcus*, in saeculo *Petrus Cano Cebrián*, natus die I mensis Iunii anno MCMVI, martyrium subiit die XIV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Benicarló*.

116. *Arnoldus Cyrillus*, in saeculo *Ioannes Font Taulat*, natus die I mensis Iulii anno MDCCCXC, martyrium subiit die XXI mensis Ianuarii anno MCMXXXVII Ilerdae.

117. *Augustus Maria*, in saeculo *Arsenius Merino Miguel*, natus die XII mensis Decembris anno MDCCCXCIV, martyrium subiit ad finem mensis Octobris anno MCMXXXVI in *Molnas* (Tarraco).

118. *Benildus Iosephus*, in saeculo *Franciscus Casademunt Ribas*, natus die V mensis Februarii anno MDCCCLXXII, martyrium subiit die XXVI mensis Augusti anno MCMXXXVI *Tarracone*.

119. *Benedictus Ioannes*, in saeculo *Ioannes Baptista Urgell Corna*, natus die V mensis Octobris anno MCMVI, martyrium subiit die VII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Villalba*.

120. *Bonaventura Plus*, in saeculo *Pius Ruiz de la Torre*, natus die IX mensis Iulii anno MCMIX, martyrium subiit die I mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Tortosa* (Tarraco).

121. *Claudius Iosephus*, in saeculo *Emmanuel Mateo Calvo*, natus die V mensis Octobris anno MCMII, martyrium subiit die I mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Tortosa* (Tarraco).

122. *Clemens Adolfus*, in saeculo *Ioannes Clemens Vea Balaguer*, natus die IX mensis Iunii anno MDCCCXCVIII, martyrium subiit die XV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *S. Mateo* (in provincia Castellionensi).

123. *Clemens Faustinus*, in saeculo *Iosephus Fernández Sáenz*, natus die VI mensis Aprilis anno MCMXV, martyrium subiit die XVIII mensis Septembris anno MCMXXXVI Tarracone

124. *Daniel Antoninus*, in saeculo *Nicolaus Rueda Barriocanal*, natus die X mensis Septembris anno MDCCCXCIV, martyrium subiit die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

125. *Helladius Vincentius*, in saeculo *Caesarius España Ortiz*, natus die XXV mensis Februarii anno MDCCCLXXXVI, martyrium subiit die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

126. *Elias Paulinus*, in saeculo *Xaverius Pradas Vidal*, natus die XXI mensis Martii anno MDCCCXCVI, martyrium subiit die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

127. *Elmus Michaël*, in saeculo *Petrus Ioannes Iosephus Sisterna Torrent*, natus die XXI mensis Martii anno MDCCCLXXVIII, martyrium subiit die XXVI mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

128. *Exsuperius*, in saeculo *Michaël Alberto Flos*, natus die XII mensis Novembris anno MDCCCLXXXI, martyrium subiit die XV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Benicarló.*

129. *Faustus Aloisius*, in saeculo *Iosephus Maria Tolaguera Oliva*, natus die XIV mensis Martii anno MCMIV, martyrium subiit die XXVI mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

130. *Felix Hadrianus*, in saeculo *Franciscus Vicente Edo*, natus die XXXI mensis Iulii anno MCMIII, martyrium subiit die XXII mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Mosqueruela*

131. *Fulbertus Iacobus*, in saeculo *Iacobus Jardí Vernet*, natus die VII mensis Maii anno MCMI, martyrium subiit die X mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Tivisa* (Tarraco).

132. *Gilbertus a Iesu*, in saeculo *Iosephus Boschdemont Mitjavila*, natus die XI mensis Augusti anno MDCCCLXXX, martyrium subiit die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

133. *Honorius Sebastianus*, in saeculo *Sebastianus Obeso Alario*, natus die XII mensis Decembris anno MCMX, martyrium subiit die XVIII mensis Septembris anno MCMXXXVI Tarracone.

134. *Hugo Barnabas*, in saeculo *Franciscus Trullén Gilisbarts*, natus die XX mensis Ianuarii anno MDCCCXCV, martyrium subiit die I mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Viñols.*

135. *Hyacinthus Georgius*, in saeculo *Iosephus Camprubí Corrubí*, natus die XXII mensis Februarii anno MDCCCLXXX, martyrium subiit die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI Tarracone.

136. *Ianuarius*, in saeculo *Marianus Navarro Blasco*, natus die III mensis Decembris anno MCMIII, martyrium subiit die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI Tarracone.

137. *Iustinus Gabriel*, in saeculo *Gabriel Albiol Plou*, natus die XXIII mensis Aprilis anno MCMX, martyrium subiit die XI mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Peñiscola.*

138. *Leontius Ioachimus*, in saeculo *Ioachimus Pallerola Feu*, natus die II mensis Iulii anno MDCCCXCII, martyr factus est die I mensis Septembris anno MCMXXXVI in *Viñols.*

139. *Aloisius Albertus*, in saeculo *Ildephonsus Alberto Flos*, natus die XXVI mensis Februarii anno MDCCCLXXX, martyrium subiit die XV mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Benicarló*.

140. *Maginus Petrus*, in saeculo *Franciscus Salla Saltó*, natus die III mensis Septembris anno MCMXVIII, martyr factus est die XXIX mensis Iulii anno MCMXXXVIII in *Juncosa* (Ilerda).

141. *Marcianus Paschalis*, in saeculo *Paschalis Escuín Ferrer*, natus die XXX mensis Martii anno MCMVII, martyr factus est die XIX mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Tortosa.*

142. *Nicolaus Hadrianus*, in saeculo *Ioannes Pérez Rodrigo*, natus die XXVII mensis Ianuarii anno MCMXIV martyr factus est die XVIII mensis Septembris anno MCMXXXVI Barcinone.

143. *Raphaël Iosephus*, in saeculo *Patricius Gellida Llorach*, natus die XVI mensis Martii anno MDCCCLXXI, martyr factus est die XVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Peñíscola*.

ex Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio:

144. *Iulius Alameda Camarero*, natus die XXVIII mensis Maii anno MCMXI in *Castroceniza* (Burgum), martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

145. *Aloisius Domingo Oliva*, natus die XI mensis Ianuarii anno MDCCCXCII in *Reus* (Tarraco), martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra*.

146. *Isidorus Tarsá Giribets*, natus die III mensis Februarii anno MDCCCLXVI in *Fontanet* (Ilerda), martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

147. *Bonaventura Toldrá Rodón*, natus est die XXXI mensis Martii anno MDCCCXCVI in *Pla de Cabra* (Tarraco), martyr factus est die XI mensis Novembris anno MCMXXXVI in *Torredembarra.*

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Marii Vergara, Sacerdotis Pontificii Instituti pro Missionibus Exteris, et Isidori Ngei Ko Lat, Cristifidelis Laici et Catechistae, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex re ferri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Decembris a.D. 2013.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TOLOSANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Mauritii Mariae Matthaei Garrigou Sacerdotis Fundatoris Instituti Sororum Dominae Nostrae a Compassione (1766-1852)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus» (*Gal* 2, 20).

Sententia Sancti Pauli ad Galatas summatim exhibet spiritualem vitam Servi Dei Mauritii Mariae Matthaei Garrigou, ex qua assiduam hausit operositatem apostolicam, sub uno tantum fundamento et prospectu qui est Christus Iesus. Agitato et implicato Gallicae eversionis tempore, quo napoleonica ac seditiosa Gallia versabatur, ipse, tamquam iter percurrendum, testimonium ostendit et vitam absconditam docuit in Christo Iesu. Deo eiusque Providentiae deditus suam sacerdotalem vocationem et exhibuit et confirmavit, ita ut materiales posthaberet difficultates vel gravia incommoda, quibus eius vitae pars signabatur.

Dei Servus die 21 mensis Septembris anno 1766 in oppido *Gudanes, Ariège* in Gallia, ortum habuit quartus ex duodecim filiis. Sequenti die aquis baptismatis ablutus est in paroecia Sancti Martini «des Cabannes». Aliquot post menses familia eius Tolosam se contulit, ubi pater artem fabri exercuerat. Decem annos natus ob matris decessum orbatus permansit. Alumnus exstitit apud Patres Doctrinarios in Collegio Tolosano v.d. *de l'Esquile* ibique scholam mediam frequentavit, in cuius ambitu peculiaribus intellegentiae dotibus iam iamque eminuit.

Tempore quo cursum litterarum participabat, Seminarium Sancti Caroli, a Patribus Sulpitianis administratum, ingressus est. Hic enim ad tonsuram admissus, ad presbyteralem ordinationem parare se coepit. Interdum Laurea in Litteris est honestatus. Die 21 mensis Maii anno 1785 minoribus insignitus est ordinibus, testificans suam humilitatem necnon summam oboedientiam superioribus, qui rogaverant eum ut hanc decisionem sumeret ad vitandum influxum doctrinae Gallicanae. Brevi discriminis periodo superata in seligendo statu consecrationis, incardinari statuit Dioecesi Tolosanae. Tempore formationis in Seminario, Servus Dei partes habuit Societatis Theologorum apud Seminarium Sancti Caroli ac postea Tolosae nomen dedit *Associationì Amicorum.* Hac intellectuali experientia compulsus, scripta Sancti Francisci Salesii legere coepit ac sese formare ad regularem vitam gerendam, ad ascesim exercendam, ad doctrinam christocentricam adipiscendam, ad

apostolicum ministerium studiose exsequendum, ac tandem ad Civilem clericorum Constitutionem repudiandam. Sacro presbyteratus ordine ornatus est in urbe *Auch* die 18 mensis Decembris anno 1790.

Ita amplexus est pertinacem Ecclesiam et sic dictum iusiurandum « libertatis-aequalitatis » non praestitit. Praeterea e Gallia non effugit, ac, sequenti die post latam legem proscriptionis, nempe die 23 mensis Aprilis anno 1793, Tolosae vitam gessit, apostolicum ministerium in abscondito exercens. Transacta quadam periodo infirmae valetudinis, denuo latenter resumpsit ministerium, alternas transcendens difficultates, usque ad annum 1800, quo pastorale opus maiore libertate assumere valuit.

Tolosae servitium exsecutus est apud ecclesiam Sancti Saturnini. Tunc condidit Congregationem « a Sacra Spina », societatem scilicet fidelium congregatorum, cuius erat specialem cultum reddere Iesu vulnerato et spinis coronato necnon Mariae Virgini doloris gladio transfixae. Servus Dei, quamvis adversa valetudine afflictus, ingenti gavisus est facultate apud plures christifideles propositum incitandi ad penitus sese Domino vovendos. Tempore quo Pius VII vinculis retinebatur ex opere Napoleonis Bonaparte, Servus Dei hortatus est sodales Congregationis « a Sacra Spina » ad orandum, promovens simul peregrinationem ad sepulcrum Servae Dei Germanae Cousin; qui eventus ceteroquin desiderium vitam iterum sumendi stimulabit ad beatificationem Servae Dei Germanae, quod quidem initium constituet ferventioris ac frequentioris dioecesanae peregrinationis. Anno 1817 fundavit, una cum Matre Ioanna Desclaux, Institutum dicatum Dominae Nostrae a Compassione, cuius Statutum apparatum est sub inspiratione doctrinae Sanctorum Francisci Salesii et Vincentii de Paul. Anno 1824 fundamenta iecit Operis a Plagis, cuius est infirmis subvenire « ad honorandum Iesum, ipsum plagis afflictum ».

Diffusio Congregationis Sororum inter adversa et incommoda peracta est, quae sub patientia et fortitudine Servi Dei superari potuerunt. « Non semper iter suscipitur ad montem Thabor – dicere consueverat –; plerumque, cum Deus diligitur, iter vestigiis sanguinis insignita »: haec sententia colligit et paucis contrahit eius interiorem vitam, quam sibi ipse cotidie efformavit, quo tempore in contemplatione immergebatur sive Passionis Iesu sive Virginis Perdolentis, quam in altissimam transformavit et credibilem doctrinam, christifideles quoque ac sorores ad eandem viam perducens.

Iuxta scholam Sancti Francisci Salesii formatus, Servus Dei humilis exstitit minister Iesu plagis perculsi et cruci affixi, assiduus animarum

consiliarius, confessarius promptus ad Domini misericordiam tradendam, munificus in caritate ac Dei voluntati obsequens.

Extremo quoque vitae tempore auxilium et praesidium ferre non destitit sororibus religiosis et infirmis, necnon parvo Seminario vulgo *La Succursale,* quod anno 1824 condiderat. Hic enim, mense Septembri anni 1852, sex et octoginta annos natus, animam Domino exhalavit, omnibus qui cognoverant eum, suavem relinquens memoriam sanctitatis usque in finem exercitae.

Attenta hac sanctitatis fama, apud Curiam ecclesiasticam Tolosanam a die 12 mensis Martii anno 1954 usque ad diem 14 mensis Aprilis anno 1961 instructus est Processus Ordinarius Informativus; cui anno 1999 additus est Processus Suppletivus, quorum iuridica auctoritas ab hac Congregatione per Decretum diei 22 mensis Iunii anno 2001 est approbata. Apparata *Positione,* disceptatum est, uti de more, utrum Servus Dei gradu heroico virtutes exercuisset. Die 18 mensis Septembris anno 2012 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, positivam ferens sententiam. Purpurati Patres et Episcopi congregati in Sessione Ordinaria, cui egomet Angelus S.R.E. Cardinalis Amato praefui, die 5 mensis Novembris anno 2013 agnoverunt Servum Dei theologales, cardinales eisque annexas virtutes heroico in gradu esse exsecutum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Mauritii Mariae Matthaei Garrigou, Sacerdotis et Fundatoris Instituti Sororum Dominae Nostrae a Compassione, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Decembris a.D. 2013.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

PATERSONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Teresiae Demjanovich sororis professae e Congregatione Sororum Caritatis Sanctae Elisabethae (1901-1927)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Teresia Demjanovich die 26 mensis Martii anno 1901 Baioci in finibus Novae Caesareae e Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis nata est. Iam inde a pueritia claram ostendit conscientiam se voluntatem Dei omnibus in adiunctis exquirere et ad vitam consecratam referri velle. In Collegium Studiorum «Sanctae Elisabethae» se ascripsit a Sororibus Caritatis Sanctae Elisabethae moderatum ibique anno 1923 lauream adepta est. Illis annis vitam spiritualem naviter curavit, celebrationem eucharisticam cotidie obiit atque orationi impensius vacavit.

Officium magistrae apud Academiam Sancti Aloisii Caesaropolitanam suscepit et anno 1925 in eadem Congregationem, apud quam studuerat, prima vota religiosa emisit. Institutionis tempore, angustiae et dissensiones ei haud defuerunt, quas ipsa tamen obire fide ac humilitatis ope superare valuit. Die 9 mensis Decembris anno 1926, in valetudinarium recepta est et chirugicae sectionis commissa. Licet condiciones eius gravissimae essent, nemo tamen sive in valetudinario sive in communitate valetudinis eius intellexit severitatem. Mense igitur transacto, iterum in valetudinarium anhelationis et cordis implicationum causa retracta est. Hanc passionis corporis et animae tempestatem uti praecipuam caritatis Dei significationem habuit, quam laeta promptaque mente Serva Dei oppetiit. Cum nihil boni valetudo eius praesentire sineret, die 2 mensis Aprilis ipsi concessum est, ut vota religiosa in manibus moderatoris eius spiritualis profiteretur. Die 6 mensis Maii anno 1927, appendix eius intestini putrida resecata est, quae iamdiu vero in peritonitidem prolapsa erat. Biduo post, die 8 mensis Maii anno 1927, Elisabethopoli in Nova Caesarea regione Deo pie spiritum reddidit.

Summus Pontifex Benedictus XVI die 10 mensis Maii anno 2012 eam virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse decrevit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem, Venerabilis Ser-

vae Dei intercessioni tributam, pueri, quae in vico vulgo *Teanek* intra fines Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis anno 1964 occurrit. Puer, qui vix studia elementaria inierat, defectum visionis animadvertere ceperat una et deambulationis incessusque difficultates et adnexam asperitatem morum. Prima diagnosis vitium oculorum et contuitus patefecit congenitum, quod minime nec sanari nec corrigi poterat. Coniunctis annis, medicus de valetudine pueri magis in dies perveritus videbatur, qui enim paucos intra menses pusillum omnino luminibus orbatum praesagiebat.

Tantis in detrimentis et sive aegroto sive familiae infelicissimis adiunctis, magistra quaedam pueri, quae sodalis erat e Congregatione Sororum Caritatis Sanctae Elisabethae, ad divinum auxilium confugere statuit per Venerabilis Servae Dei eiusdem familiae religiosae intercessionem, ut parvi alumni valetudinis a Domino fideliter impetraret sanationem. Cuius invocationi etiam alumni scholae eorundemque parentes et aliae Sorores se sociarunt et iuxta imagunculam quandam cum effigie Venerabilis Mariae Teresiae Demjanovich eiusque reliquiam preces fuderunt. Valetudo et intuitus pueri repente profecerunt et brevi tempore usque ad completam processerunt sanationem. Clinicae quoque oculorum perscrutationes, quae dein secutae sunt, cuiuscumque luminis vitii sive immanentis sive pristini confirmaverunt vacationem.

Continuatio temporis clarissime patuit, sicut et nexus inter invocationem Venerabilis Servae Dei et pueri sanationem, qui exinde optima gavisus est valetudine normalesque vitae consuetudines gerit.

De hac mira habita sanatione apud Curiam Episcopalem Patersonensem a die 10 mensis Iunii anno 2003 ad diem 8 mensis Iulii anno 2004 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 28 mensis Maii anno 2009 probatae sunt.

Acta dein collecta examini et iudicio Dicasterii Medicorum Collegium subiecta sunt, quod in Sessione diei 18 mensis Octobris anno 2012 sanationem rapidam, completam et duraturam, necnon inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit.

Die 11 mensis Iulii anno 2013, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu factus est ac, die 17 mensis Decembris eiusdem anni, Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Teresiae Demjanovich, Sororis professae e Congregatione Sororum Caritatis Sanctae Elisabethae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatone pueri cuiusdam a «degenerazione maculare bilaterale congenita»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris a.D. 2013.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CRACOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Georgii Ciesielski Christifidelis Laici et Patrisfamilias (1929-1970)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Munus christifidelium sanctitatem quaerere». Firma haec Servi Dei Georgii Ciesielski fuit persuasio, quam ipse saepius vitae tempore excepit prompte ac constanter est persecutus. Huius enim contentionis spiritualis fidelis ac probatus fuit testis, cuius imago inter prospectus illos vocationis laicalis a Concilio Vaticano II nuperrime recensitos eminet, quae intra laris et laboris fines suipsius afflatus et virtutis christianae eiusdem habet fundamentum.

Servus Dei die 12 mensis Februarii anno 1929 Cracoviae natus est et secundo fere post mense ad regenerationis fontem ductus. In modesta familia christiana pietate et morum doctrina penitus informata institutus, novem annos natus ad eucharisticam mensam primum accessit.

Eodem autem tempore, post Poloniam a germanico exercitu invasam acerrimae secundi totius mundi belli tempestates illae, annis 1939-1945, iamiam grassaturae erant. Haec propter aspera adiuncta et consecutas quoad rem oeconomicam aerumnas, curriculum studiorum Servi Dei distinctionibus morisque admodum videtur laboratum: nam, iuvenis Georgius etiam apud fabricam laborem exercere profectus est. Sacramentum Confirmationis recepit, dispiciens in dies profundo religionis intellectu summaque consociationis iuvenum motuum sollicitudine, quapropter princeps iuvenum catholicorum coetus vulgo «scout» nuncupati factus est.

Post bellum Universitati Cracoviensi se ascripsit et lectiones apud Scholam Superiorem Polytechnici audivit. Cum optimis esset corporis virtutibus praeditus, artis gymnicae quoque patravit studia et titulum exercitoris adeptus est. In artibus natationis vel lapsus super nivem praecipiendis non modo instrumenta tradebat, sed veram etiam virtutis ingeniique summam. In oratione interdum et in contemplationis silentio sese ad maximum vitae suae consilium comparavit, scilicet matrimonium, et, anno 1957, benedicente tum presbytero Carolo Wojtyła ritum coniugii, Danutam Plebanczyk duxit uxorem, a qua tres habuit filios. In illo tempore, mira una et insignia

fuerunt onera ab ipso pro bono proximi sustenta, familiarum praesertim laborantium pauperumque necnon corpore animaque infirmorum.

Polona societas ex dira bellica tempestate illis annis in certamen dictaturae transiit, consentaneam suipsius adiens reformationem ad cuiuscumque se asseclam fieri reiceret opinionum exceptionem, quae, religioni infensae, iuxta doctrinam communismi, omnem singulorum proprietatem maxime denegabant summamque rei publicae licentiam fovebant. Quae tum Servus Dei expertus est ipse, cum postulatio eius de magisterio tradendo nec responsum quidem habuit.

Hoc tamen adiunctum fuit illud, quod adeo oculos Georgii in aliam muneris et missionis navitatem reseravit, ut Servus Dei praeceptoris hospitis sub titulo apud Facultatem Ingeniariae Universitatis Studiorum Khartumensis in Sudaniae fines sese traicere censeret. Illis in Africae vastitatibus firmius Coetui adhaesit ecclesiali, cui vulgo nomen «*Focolari*», ab ipso iam antea cognito, et a familia secutus est.

Conspectus eius spiritualis enixioris communionis cum Domino eminet spe, Eucharistia praesertim et assidua Verbi Dei auditione enutrita. Intima haec Dei coniunctio consuetudinis eius et actuositatis fons fuit egregius. Servus Dei, enim, vitam maxime coluit, quam uti munus a Providentia eidem commissum et perseverantem cum divina gratia cooperationem ratus est. Peralto humanae suffultus est dignitatis intellectu, quam ad supernum lumen summopere curavit fovendam. Vir fuit communionis consessum proximi quaerens et a seipso neminem secludens, qui pro utilitate aliorum omnes facultates suas quoad humanum cultum et animae pervestigationem inconsuetas tradere praestitit. Rerum naturam maxime dilexit, in qua paternae Dei caritatis quasi umbram reperiebat. Exercitium virtutum vere ei cotidianum fuit usum, quem ampliore semper benignitate recoluit.

In excursione super Nilum, die 9 mensis Octobris anno 1970, lugendum incessit scelus, quo, actuaria eius saevum propter navium concursum submersa, praeter Servum Dei filios etiam duos aliosque quindecim cum iis in naufragio occubuerunt. Eiusdem tunc Eminentissimus Dominus Carolus Cardinalis Wojtyła celebravit exsequias.

Ob sanctitatis famam, Causa beatificationis et canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Cracoviensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 31 mensis Decembris anno 1985 ad diem 28 mensis Maii anno 1990 et Inquisitionis Rogatorialis apud Vicariatum Urbis

ab anno 1987 ad annum 1988, quarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 21 mensis Februarii anno 1992 probatae sunt. *Positione* confecta, die 25 mensis Septembris anno 2012 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 17 mensis Decembris anno 2013, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Georgii Ciesielski, Christifidelis Laici et Patrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris a.D. 2013.

ANGELUS card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Emmanuelis Herranz Establés Sacerdotis Dioecesani Fundatoris Congregationis Ancillarum a Virgine Perdolenti (1880-1968)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Caritas Christi urget nos» (*2 Cor* 5, 14).

Excitans effatum apostoli Pauli propositum constituit quod Servus Dei Emmanuel Herranz Establés sua in vita est prosecutus. Eius caritas revera immensa fuit, ardens, tenera, splendida, subtilis, delicata et sincera; illa fundamentum fuit eius vitae atque navitatis. Amor eius erga Dominum, quem in oratione colebat, efficit ut magno animo se fratribus egentioribus dicaret.

Servus Dei in *Campillo de Duenas* (in provincia Guadalaiarae) die 1 mensis Ianuarii anno 1880 natus est et eodem die baptizatus. Sua in frequenti familia, bene de rebus domesticis constituta et profunde religiosa, bonam accepit educationem et adulescens vocationis ad sacerdotium signa praesensit. Ideo post primam institutionem scholasticam iter formationis Seguntina in urbe adimplevit atque die 28 mensis Maii anno 1904 presbyter est ordinatus, quem duo fratres eius sacerdotes, Anselmus et Hilarius, sunt comitati. Veluti coadiutor Hilarii, parochi, ministerium coepit Matritensi in dioecesi exercere.

Inter homines spiritali in ambitu derelictos ingressus est, scholis, sacellis, catechesi carentes, videlicet tenuiores et demissos. His in circumstantiis Servus Dei se ministrum exemplarem demonstravit, sollicitum de pauperibus, caritate eminentem animoque aperto. Caritas eius potissimum infirmos iuvabat, infantes et iuvenculas matres, qui videlicet praecipue a vita sociali excludebantur et de quibus alii lucrabantur. De ultimis praesertim sollicitus, Servus Dei scholam dominicalem aedificavit, et postea Congregationem fundavit Ancillarum a Virgine Perdolenti.

Valde in praedicatione diligens, in sacramentorum administratione et in consociationibus catholicis, etiam difficilibus annis belli civilis suam navitatem non deminuit. Sed eius paroecia globis displodentibus diruta est atque Servus Dei coactus est ut refugium apud quasdam legationes quaereret. Attamen agnitus est ab illis qui Ecclesiam persequebantur, dum in

custodia tenebatur vexationibus subiectus est quae eum velut exanimatum reddiderunt, atque multos dies sine cibo transegit.

Post bellum iterum ad omnes suas rediit navitates, maiore cum fatigatione ob damna rerum animorumque contentione provocata. Eius consilium instituendi Piam Unionem semper solidius efficiebatur, quae recognitura erat postea veluti religiosa Congregatio Ancillarum a Virgine Perdolenti, cuius constitutiones iam scripserat et proposita definiverat. Mortuo fratre Hilario, oeconomus factus est paroeciae et deinde parochus.

Sententia eius praecipua fuit: «Omnia facere pro Christo et animis». Gloriam Deo dare, iter ad sanctitatem percurrere per altum Christi fratrumque amorem, exque adoratione eucharistica vim ad iuvandos infirmiores haurire: hoc triplex propositum, quod Servus Dei suis concredidit sororibus, fuit etiam eius vitae propositum. Extraordinariam explevit navitatem, de populo deque puellis matribus dignae vitae restituendis iugiter sollicitus, simul cum cura earum filiorum, illas ad honestam vitam dirigens. Vir hospitalitatis et magnanimitatis, «omnia omnibus» revera est factus. Alta et serena firmitudine eminuit, Christo fidelis semper manens atque necessitatibus Populi Dei. Evangelium cum gaudio nuntians et sine dubitationibus, perfecte spiritualitatem eucharisticam coniungere valuit cum munere caritativo.

Interea eius valetudo infirmari coepit et morbi quidam ei multum provocaverunt dolorem. Infìrmitas coegit eum ut in lectulo quinque fere per annos iaceret. Etiam hac in conditione se veluti exemplum manifestavit patientiae, in habitu plene voluntati Dei conformatus. Die 29 mensis Iunii anno 1968 Matriti pie in Domino obdormivit.

Fama sanctitatis iam in vita eum circumdedit, post obitum aucta est; quam ob rem apud Curiam archiepiscopalem Matritensem Inquisitio dioecesana a die 28 mensis Ianuarii anno 1988 usque ad diem 2 mensis Iulii anno 1991 est peracta, cuius iuridica validitas per Decretum die 21 mensis Maii anno 1993 a Congregatione de Causis Sanctorum est recognita. Parata *Positione,* disceptatum est, iuxta suetas normas, an Servus Dei virtutes heroico modo exercuisset. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 18 mensis Novembris anno 2011, positivo cum exitu, habitus est. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 17 mensis Decembris anno 2013 congregati, me, Angelo card. Amato, moderante, edixerunt Servum Dei heroico modo virtutes theologales, cardinales iisque adnexas excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per me, subscriptum Cardinalem Praefectum, accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Emmanuelis Herranz Establés, Sacerdotis Dioecesani et Fundatoris Congregationis Ancillarum a Virgine Perdolenti, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris a.D. 2013.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

ANCORAGIENSIS

DE CONCATHEDRALIS ERECTIONE

DECRETUM

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur utque pastorale suum ministerium efficacius adimplere valeat, Exc.mus P.D. Rogerius Laurentius Schwietz, O.M.I., Archiepiscopus Ancoragiensis, ab Apostolica Sede expostulavit, ut templum, Deo dicato in honorem Sanctae Mariae Guadalupensis, in vico Anchorage vulgo nuncupato extans, ad dignitatem et fastigium ecclesiae Concathedralis eveheretur.

Congregatio pro Episcopis, præhabito favorabili voto Exc.mi P.D. Caroli Mariæ Viganò, Archiepiscopi titularis Ulpianensis et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi, a Summo Pontifice Francisco, Divina Providentia PP. tributarum, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, deceruit, ut, servata archidioecesis Ancoragiensis Cathedrae episcopalis dignitate, memoratum templum Sanctae Mariae Guadalupensis, titulo ac fastigio Concathedralis ecclesiae condecoretur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi ecclesiis sunt propria.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Carolum Mariam Viganò, Archiepiscopum titularem Ulpianensem, deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, ubi primus fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 11 mensis Augusti anno 2014.

Marcus card. Ouellet
Praefectus

✠ Ilson de Jesus Montanari
a Secretis

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 12 Martii 2015. — Ecclesiae Spokanensi, Exc.mum D. Thomam Antonium Daly, hactenus Episcopum titularem Tabaltensem et Auxiliarem dioecesis Sancti Iosephi in California.

— Cathedrali Ecclesiae Lexingtonensi, R.D. Ioannem Stowe, O.F.M. Conv., hactenus Vicarium Provincialem Provinciae Dominae Nostrae Consolationis et Rectorem Basilicae et Sanctuarii Nationalis Dominae Nostrae Consolationis in oppido vulgo Carey in civitate Ohiensi.

die 14 Martii. — Metropolitanae Ecclesiæ Mariborensi, R.D. Aloisium Cvikl, S.I., hactenus Oeconomum eiusdem archidioecesis.

die 18 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Summulensi, Exc.mum D. Esmeraldum Barreto de Farias, hactenus Archiepiscopum Portus Veteris, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Ludovici in Maragnano.

die 19 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Budovicensi, R.D. Vlastimil Kročil, e clero eiusdem dioecesis, ibique in Facultate Theologica professorem et in civitate vulgo nuncupata Veselí nad Lužnici Administratorem paroecialem.

die 20 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Kearniensi, R.D. Marium Eduardum Dorsonville-Rodríguez, e clero archidioecesis Vashingtonensis, ibique Moderatorem Instituti archidioecesani vulgo dicti «Spanish Catholic Center» necnon praesidis vices gerentem Missioni pro Operibus Caritatis Catholicis in archidioecesi Vashingtonensi.

die 21 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Rosnaviensi, Exc.mum D. Stanislaum Stolárik, hactenus Episcopum titularem Baricensem et Auxiliarem Cassoviensem.

— Cathedrali Ecclesiae Arundeliensi-Brichtelmestunensi, Exc.mum D. Carolum Philippum Richardum Moth, hactenus Episcopum Ordinarium Militarem in Magna Britannia.

die 21 Martii 2015. — Cathedrali Ecclesiae Limonensi, R.D. Xaverium Gerardum Román Arias, e clero archidioecesis Sancti Iosephi in Costarica, ibique hactenus Oeconomum et Parochum atque Secretarium Adiunctum Conferentiae Episcoporum in Republica Costaricensi.

die 24 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Dominici in Aequatoria, Exc.mum D. Bertramum Victorem Wick Enzler, hactenus Episcopum titularem Carpitanum et Auxiliarem archidioecesis Guayaquilensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 9 marzo, le Loro Maestà il Re Filippo e la Regina Mathilde dei Belgi;

Lunedì, 16 marzo, le Loro Ecc.ze i Sig.ri Gian Franco Terenzi e Guerrino Zanotti, Capitani Reggenti della Repubblica di San Marino.

Il Romano Pontefice ha compiuto una Visita Pastorale alla Chiesa e alla Città di Napoli sabato, 21 marzo.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

17 marzo 2015 S.E.R. Mons. Giorgio Lingua, Arcivescovo tit. di Tuscania, finora Nunzio Apostolico in Iraq e in Giordania, *Nunzio Apostolico in Cuba*.

21 » » S.E.R. Mons. Aldo Cavalli, Arcivescovo tit. di Vibo Valentia, finora Nunzio Apostolico in Malta e in Libia, *Nunzio Apostolico nei Paesi Bassi*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

3 marzo 2015 L'Em.mo Sig. Card. Dominique Mamberti, Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *Presidente della Commissione per gli Avvocati*.

10 » » Il Rev.do Mons. Udo Breitbach, Sotto-Segretario della Congregazione per i Vescovi, *Membro della Commissione Disciplinare della Curia Romana*.

» » » L'Em.mo Sig. Card. Rainer Maria Woelki, Arcivescovo di Kòln (Germania), *Membro dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica*.

» » » Il Rev.do Mons. Francesco Viscome, del clero dell'Arcidiocesi di Crotone-Santa Severina, finora Difensore del Vincolo Sostituto del Tribunale della Rota Romana, *Promotore di Giustizia presso il medesimo Tribunale*.

17 » » Il Rev.do Sac. Francesco Ibba, del clero dell'Arcidiocesi di Cagliari, Officiale del Tribunale della Rota Romana, *Difensore del Vincolo Sostituto del medesimo Tribunale*.

» » » Tra i Membri dei Dicasteri della Curia Romana i seguenti Em.mi Sig.ri Card.li, creati e pubblicati nel Concistoro del 14 febbraio 2015:

– L'Em.mo Sig. Card. Dominique Mamberti, Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *nel Consiglio di Cardinali e Vescovi della Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato.*

– L'Em.mo Sig. Card. Ricardo Blázquez Pérez, Arcivescovo di Valladolid (Spagna), *nella Congregazione per la Dottrina della Fede*.

- Gli Em.mi Sig.ri Card.li Berhaneyesus Demerew Souraphiel, Arcivescovo di Addis Abeba (Etiopia); Edoardo Menichelli, Arcivescovo di Ancona-Osimo (Italia), *nella Congregazione per le Chiese Orientali*
- L'Em.mo Sig. Card. Dominique Mamberti, Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *nella Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti.*
- L'Em.mo Sig. Card. Dominique Mamberti, Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *nella Congregazione delle Cause dei Santi*.
- Gli Em.mi Sig.ri Card.li John Atcherley Dew, Arcivescovo di Wellington (Nuova Zelanda); Pierre Nguyên Văn Nhon, Arcivescovo di Hà Nôi (Viêt Nam); Francis Xavier Kriengsak Kovithavanij, Arcivescovo di Bangkok (Thailandia); Arlindo Gomes Furtado, Vescovo di Santiago de Cabo Verde (Capo Verde); Soane Patita Paini Mafl, Vescovo di Tonga (Tonga), *nella Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli*.
- Gli Em.mi Sig.ri Card.li Manuel José Macario do Nascimento Clemente, Patriarca di Lisboa (Portogallo); Alberto Suàrez Inda, Arcivescovo di Morelia (Messico), *nella Congregazione per il Clero*.
- Gli Em.mi Sig.ri Card.li Charles Maung Bo, Arcivescovo di Yangon (Myanmar); Daniel Fernando Sturla Berhouet, Arcivescovo di Montevideo (Uruguay), *nella Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica*.
- L'Em.mo Sig. Card. José Luis Lacunza Maestrojuán, Vescovo di David (Panama), *nella Congregazione per l'Educazione Cattolica*.
- L'Em.mo Sig. Card. John Atcherley Dew, Arcivescovo di Wellington (Nuova Zelanda), *nel Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani*.
- Gli Em.mi Sig.ri Card.li Pierre Nguyên Văn Nhon, Arcivescovo di Hà Nôi (Viêt Nam); Alberto Suárez Inda, Arcivescovo di Morelia (Messico), *nel Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace*.
- Gli Em.mi Sig.ri Card.li Francesco Montenegro, Arcivescovo di Agrigento (Italia); Arlindo Gomes Furtado, Vescovo di Santiago de Cabo Verde (Capo Verde); Soane Patita Paini Mafi, Vescovo di Tonga (Tonga), *nel Pontificio Consiglio «Cor Unum»*.

– Gli Em.mi Sig.ri Card.li Berhaneyesus Demerew Souraphiel, Arcivescovo di Addis Abeba (Etiopia); Francesco Montenegro, Arcivescovo di Agrigento (Italia), *nel Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti*.

– L'Em.mo Sig. Card. Edoardo Menichelli, Arcivescovo di Ancona-Osimo (Italia), *nel Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari*.

– Gli Em.mi Sig.ri Card.li Charles Maung Bo, Arcivescovo di Yangon (Myanmar); Ricardo Blázquez Pérez, Arcivescovo di Valladolid (Spagna); José Luis Lacunza Maestrojuán, Vescovo di David (Panama), *nel Pontificio Consiglio della Cultura*.

– Gli Em.mi Sig.ri Card.li Manuel José Macario do Nascimento Clemente, Patriarca di Lisboa (Portogallo); Francis Xavier Kriengsak Kovithavanij, Arcivescovo di Bangkok (Thailandia), *nel Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali*.

– L'Em.mo Sig. Card. Daniel Fernando Sturla Berhouet, Arcivescovo di Montevideo (Uruguay), *nel Pontificio Consiglio per la Promozione della Nuova Evangelizzazione*.

30 marzo 2015 Gli Ecc.mi Mons.ri: Brian Farrell, Vescovo tit. di Abitine, Segretario del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani; Jean Laffitte, Vescovo tit. di Entrevaux, Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia; i Rev.di Mons.ri: Angel Rodríguez Luno; Romano Penna; Carlos José Errázuriz Mackenna; e i Rev.di Padri: Maurizio Pietro Faggioni, O.F.M.; Gianfranco Ghirlanda, S.I, *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede per un altro quinquennio*.

31 » » L'Em.mo Sig. Card. Giuseppe Versaldi, finora Presidente della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede, *Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica*.

NECROLOGIO

17	marzo	2015	Mons. Antonio Dorado, Vescovo em. della diocesi di Malaga (*Spagna*).
20	»	»	Mons. Malachy John Goltok, Vescovo di Bauchi (*Nigeria*).
26	»	»	Mons. Ennio Appignanesi, Arcivescovo em. di Potenza-Muro Lucano-Marsico Nuovo (*Italia*).
»	»	»	Mons. Alonso Llano Ruiz, Vescovo em. di Istmina-Tadó (*Colombia*).
29	»	»	Mons. Juan Carlos Maccarone, Vescovo em. di Santiago del Estero (*Argentina*).
2	aprile	»	Mons. Villiam Benedict Friend, Vescovo em. di Shreveport (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Alberto Ricardo da Silva, Vescovo em. di Dili (*Timor Est*).
3	»	»	Mons. Luiz María Pérez de Onraita Aguirre, Arcivescovo em. di Malanje (*Angola*).